





*Er. 13. num. 21.*

*13*  
PROBLEMA HISTORICO-IVRIDICVM  
AN EX L. IVLIA AVGVSTI POENA *1748, 11*  
ADVTERII FVERIT MORTIS  
PROPOSTIT

*12*  
QVO SIMVL  
VIRO MAGNIFICO, ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO  
ATQVE CONSULTISSIMO

*144*  
**IOANNI GEORGIO  
PERTSCHIO**

IVRECONSULTO CELEBERRIMO, ANTECESSORI  
ET H. T. VICE-RECTORI IN ACADEMIA

IVLIA CAROLINA

SERENISSIMO BRVNOCENSIVM AC LVNEBVR-  
GENSIVM DVCI A CONSILIIS AVLAE ET IVSTI-  
TIAE, NEC NON CVRIAEC PROVINCIALIS QVAE  
GVELPHERBYTI EST ADSESSORI  
ORDINARIO

**DE MVNERE VICE-RECTORIS**

IN ACADEMIA IVLIA CAROLINA


D. VII. CAL. IVLII A. R. D. *cis* CCXXXVIII.

ADITO

GRATVLATVR

CAROLVS FRIDERICVS SCHVBERT  
*ciz. misn. ll. c.*

HELMSTADII STANNO DRIMBORNIANO.



• 220. ) 2 ( • 220.

**S**i villa vñquam res dissensum inter doctores mouet, est sane quaestio: quando adulterium apud Romanos poena capitii a magistratu fuerit primo punitum? Alii, vt AVGVSTINVS de ciuit. dei L. III. c. 5. CHRIST. GOTTFR. HOFFMANN in diff. de dissensu iur. in pun. adult. crim. C. III. §. 8. sq. BRISSONIVS in comment. ad L. Iul. de adult. WISSENBACH in embl. Trib. p. m. 161. sq. & HEINECCIVS in syntagm. antiquit. Rom. L. IIII. t. 18. §. 52. tempore Constantini Magni; alii vt FRANC. HOTOMANNVS in quaest. ilustr. Q. XXIII. p. m. 186. sub Constantio atque Constante; alii sub Alexandro Mamea; alii sub Diocletiano et Maximiano; alii, vt GER. NOODT in Dioclet. & Maxim. c. 19. paullo post horum tempora; alii, vt M. ANTON. DELRIO in repet. L. 18. C. de transact. p. 65. edit. Lugd. sub diuis fratribus; alii vt M. LYCLAMA membran. L. II. ecl. 9. ex L. Iulia Augusti id factum esse existimant. Quid itaque inter varias variorum opiniones est statuendum? Tantasne licet componere lites? Licet vtique; modo paullo adcuratius inter gratiam, iustitiam & legis auctoritatem distinguamus, vt probe monet M. LYCLAMA a. l. p. m. 174. quod, quantum fieri poterit, vt efficiam, operam nauabo.

Romulus inter alias leges & hanc dedisse, vt adulterium ὡς αμαρτημάτων γυναικείων ερχατον in vxore maritus & cognati morte punire queant, si mulier εν εγγύει fuerit deprehensa, testantur DIONYS. HALIC. L. II. p. 95. sq. & GELLIUS in noct. Att. L. X. c. 23. quod idem velle mihi videtur HORAT. Serm. L. I. sat. 3.

Oppida coeperrunt munire & ponere leges;  
Ne quis fur esset, neu latro, neu quis adulter.  
& de arte poët.

fuit haec sapientia quondam,  
Publi-

3

*Publica priuatis secernere sacra profanis :  
Concubitu prohibere vago : dare iura maritis :  
Oppida moliri : leges incidere ligno.*

Hoc, ni fallor marito comperebat vi domesticae potestatis,  
cui & vxor erat subiecta si in manum eius, hoc est: in  
familiam venerat, vt explicat GELLIVS l. c. L. XVIII.  
c. 6. Maritus enim tunc erat vxoris iudex, & in hanc  
gaudebat imperio, IDEM ibid. L. X. c. 23. & CORN.  
TACITVS annal. L. XIII. c. 32. exemplum profert de  
Pomponia Graecina, Plautio nupta, quae mariti iudicio fuit  
permissa, sicuti & a GER. NOODT in probab. iur. L.  
II. c. 9. T. I. oper. p. m. 44. & HEINECCIO a. l. L.  
I. t. 10. §. 6. *fq.* fatis est demonstratum. Hanc vtut  
priuatam, legitimam tamen licentiam, vltimi Romanorum  
regis Tarquinii Superbi aetate adhuc viguisse patet ex  
DIONYS. HALIC. L. IIII. p. 262. vbi de Sexto Tarquini  
stuprum inferente Lucretiae refert, huic illum eandem  
poenam minitatum esse. Quem ad modum autem  
saluberrimae leges saepius non diu florere solent, ita &  
haec sanctio electos post reges euanuit. Quum enim, vt  
recte coniicte GOTTFR. LENGNICH in diff. de orig. &  
progr. poenae adult. apud Rom. C. II. §. I. ex Asia adue  
heretur ista libido, & cum aliis quoque sceleribus, ho  
nestatis quasi speciem prae se ferret, atque vt de Cn.  
Pompeii tempore TACIT. l. c. L. III. c. 28. non mos,  
inquit, non ius, deterrima quaque impune; factum insi  
mul est, vt mitiori poena adulterium coerceretur. Et  
licet, monente AVGVSTINO l. a. L. IIII. c. I. multa  
adulteria morte punirentur, in multa tamen & lenius  
sentiere Romani. Diuortii tantum poenam in adulteram  
statuisse, eamque dotis amissione mulierasse, adulterum ve  
ro in eandem dotis summam damnasse, quin immo adul  
teras a cognatis vltra ducentesimum lapidem remotas

A 2

fuisse



4

fuisse ex variis scriptoribus probat *laudatus LENGNICH.*  
*c. diff. C. II. §. 3. sq.* Hinc tot huius generis flagitia ex-  
stissime testis est *SENECA de benef. c. 16. vbi :* *Nunquid,*  
*inquit, iam vllus adulteriis pudor, postquam eo ventum est,*  
*vt nulla virum babeat, nisi ut irritet adulterum, argu-*  
*mentum est deformitatis pudicitia.* *Quam inuenies tam*  
*miseram, tam sordidam, vt illi satis sit, vnum adulterorum*  
*par nisi singulis diuinit horas, & non sufficit dies omnibus,*  
*nisi ad alium gestata est, apud alium mansit.* *Infrunita*  
*& antiqua est, quae nesciat matrimonium vocari vnius adul-*  
*terium.* *IDEM quoque ep. 95. Libidine, ait, ne mari-*  
*bus quidem cedunt pati mutae.* Et *HORATIVS Serm. L.*  
*II. sat. 2.* acerbe satis carpit adulteros.

*Quam ob caussam Augustus perspiciebat crescenti in*  
*dies malo, poena opus esse grauiori, hinc inueterato quasi*  
*delicto, quod tantas iam egerat radices, frena iniicere*  
*funditusque illud delere conatus, contra adulterium dabat*  
*sancctionem, vt testantur *PLVTARCHVS in Apophlegm.**  
*& *SVENTONIVS in vita Augusti c. 34.* qua pristinam ca-*  
*stitatem & antiquos Romani populi mores restitui posse*  
*censebat, quare illius laudes canit *HORATIVS Carm. L.**  
*III. od. 5.*

*Nullis polluitur casta domus stupris,*  
*Mos & lex maculofum edomuit nefas,*  
*Laudantur simili prole puerperae,*  
*Culpan poena premit comes.*

Sed haec ipsa lex doctores in varias traxit partes ; alii  
enim, vt *IO. SELDENVS in uxore Ebraea L. III. c. 12.* &  
*BRISSONIVS a. l. p. 34. edit. Heidelb.* relegationem ; alii,  
vt *DIONYS. GOTHOFR. ad nou. 134. c. IO.* deporta-  
tionem ; alii denique, vt *LENGNICH c. d. C. III. f. I.*  
*§. 6. sqq.* diuortium, dotis partis amissionem aliaque  
opprobria poenam fuisse hallucinantur ; Longe tamen  
verius

5

verius existimant alii cum M. LYCLAMA a. l. ANDR.  
SCHNEIDERO in repet. L. 18. C. de transact. C. VI. n. 13.  
VNGEPAVERO Ex. XVI. qu. II. & RIEMERO in  
quaest. Dec. XIII. qu. 3. adulterium capitale & mortis  
poenam in reos huius delicti fuisse statutam, quod quo-  
que ex legibus & scriptoribus satis adparet.

Leges quod attinet satis sane probant hoc §. 4. I. de  
publ. iud. l. 9. C. ad L. Iul. de adult. coerc. l. 18. C. de  
transact. quas constitutiones a Triboniano interpolatas &  
ad tempora eius aeuia accommodatas esse somniant frustra-  
que contendunt AVGVSTINVS l. c. L. III. c. 5. WIS-  
SEN BACH a. l. &, quod miror, sollers ille alias antiqui-  
tatum perscrutator HEINECCIVS c. l. L. IIII. t. 18.  
§. 51. & in elem. iur. ciu. sec. ord. digest. P. VII. §. 183. \*  
cum tamen & scriptorum testimonia referant, capitis  
poenam adulteris fuisse irrogatam. Probat id satis OVI-  
DIVS fast. L. IIII. v. 321.

*Casta negor, si tu damnas meruisse fatebor,  
Morte luam poenas, iudice vieta dea.*

& IVVENALIS sat. II. v. 30.

*leges reuocarat amaras,*

*Omnibus atque ipsi Veneri Martique timendas.*  
quae verba DELRIO c. l. p. m. 57. sq. false explicat, &  
BARN. BRISSONIVS a. l. p. m. 40. sq. absque ratione  
in suas partes trahit. Leges enim amarae, quas Domitia-  
nus reuocarat, erant illae, quae adulterii reos morte adfie-  
bant, quo & tendit locus SVETONII in vita Augusti c.  
35. *Matronas prostratae pudicitiae, inquit, quibus accusator*  
*publicus deesset, ut propinqu more maiorum de communi*  
*sententia coercerent, auctor fuit.* Communis vero senten-  
tia, secundum quam animaduertere debebant, erat ea,  
quam refert PIGHIVS: adulterii coniuctam vir & cognati,

A 3

vii

*vti volent, necanto, quo & faciunt AVREL. PRUDEN-*  
**TIVS L. I.** *in Symmachum:*

*Morte maritalis dabit indignatio poenas.*

**HORATIVS Serm. L. I. sat. 2.**

*ne poeniteat te,*

*Define matronas seclarier: vnde laboris*

*Plus haurire malū est, quam ex re decerpere fructus.*

& ead. sat. sub fine:

*Deprendi miserum est.*

& Iuuenalis sat. 10.

*fiet adulter*

*Publicus & poenas metuet, quascunque mariti*

*Exigere irati, nec erit felicior astro,*

*Maritis vt in laqueos nunquam incidat.*

paucisque interie&tis:

*necat hic ferro, secat ille cruentis*

*Verberibus quosdam moechos & mugilis intret.*

Hinc & de Tiberio **TACITVS annal. L. IIII. c. 42.**  
 Caesar, inquit, obiectam sibi aduersus reos inclemantium  
 eo peruvacius amplexus, Aquilam adulterii delatam cum  
 Vario Ligure, quanquam Lentulus Getulicus cōsul designa-  
 tus lege Iulia damnasset, exsilio puniuit. Possent tamen  
 dissentientes regerere, hos scriptores loqui non de mortis  
 poena quam adulteris irrogasset magistratus, sed de ea  
 quam maritus & cognati statuissent. Hoc equidem nec ipse  
 inficias eo, de vno alteroue exemplo esse intelligendum.  
 Et si quoque, quod tamen maxime in dubium voco,  
 ipsis concederem de omnibus id esse censendum, exinde  
 & facile colligi poterit, eadem etiam poena magistratum  
 in adulterii reos animaduertisse. Quod si enim hoc lici-  
 tum fuit marito & cognatis, vt patet ex *l. 24. D. ad L.*  
*Iul. de adult. coerc. rationem, profecto, non perspicio,*  
*cur priuatis plus licuerit quam magistratui & huic dene-*  
gata

3.

gata fuerit potestas, ut adulterium ultimo supplicio potuerit coercere, siquidem Augustus, qui alias in stabilienda monarchia magnam nauauit operam, priuatis non maiorem quam magistratui potuit impertiri facultatem. Et sane extant exempla vbi adulteris capitis poena fuit irrogata. Ita enim SVETONIUS in vita Augusti c. 67. Idem Proculum ex acceptissimis libertis, inquit, mori coegerit compertum adulterare matronas; & TACITVS c. l. L. IIII. c. 44. Nam patre eius, Iulio Antonio ob adulterium Iuliae morte punito, ait, hunc admodum adolescentulum sororis nepotem seposuit Augustus in ciuitatem Mafsiliensem.

Dubium quidem moueri posset Augustum non ita se uere in adulteros sentire potuisse, quoniam, teste SVETONIO l. a. c. 68. & 69. ipse castitati parum fuerit deditus. Ast bene iam obseruauit ARNOBIUS aduersus gentes L. IIII. vbi: ad libidinem homines proni, inquit, atque ad voluptatum blanditias naturae infirmitate proclives, adulteria tamen legibus vindicant & capitalibus eos adjiciunt poenis, quos in aliena comprehendenter foedera genialis selectuli expugnatione iecisse; Et praesto sunt exempla, hoc delictum coercuisse principes, qui tamen frequentius illud ipsum commiserint, id quod in Domitiano luculenter cognosci potest, qui teste DION CASSIO L. LXVII. & SVETONIO in vita eius c. 22. ασωτατος και ασελγεστος και προς γυναικας και προς μειζωνα, & tamen castitatis leges dabat, atque in contra facientes animaduertebat; & de Antonino Caracalla refert DION COCCEIANVS in excerptis ex collectaneis Constantini Porphyrogenetae p. 755. edit. Paris. Vales. Cum ipse omnium, ait, mortalium notissimus adulter, quoad habilis fuerit ad Venerem exstitisset, alios tamen eiusdem criminis reos oderat & praeter ius a morem capite plectebat.

His



His itaque rationibus & testimonis nixus; firmiter persuasum mihi habeo, legem Iuliam Augusti adulterium capitis poena coercuisse. Sed ad argumenta dissentientium erit deueniendum.

Monent primo aduersarii exempla exstare, vbi adulterium mox deportatione, mox relegatione, mox alia poena fuerit punitum. Hoc ipsis lubens libensque largior & fateor id factum esse, non vero de regula & secundum ius, sed variis ex caussis, vel gratia maiestatis, vel quod delinquentes honestioris alioquin generis homines erant. Prius quod attinet, clementiam principis nemo audebit cancellis ita includere, vt haec unum alterumue ab ordinaria patrati delicti poena interdum eximerre nequeat, nam: *sciendum est, discrimina esse poenarum, neque omnes eadem poena adisci posse;* sunt verba VLPIANI in l. 9. §. II. D. de poenis. Haec autem facultas non magistratus sed principi competit, l. ead. Hinc & Augustus aliquando mitius animaduerit in adulterum, quod vel ipso filiae ipsius exemplo probatur, teste SVETONIO in vita illius c. 65. Et omnia quae proferuntur exempla nihil aliud euincunt, quam Augustum leniorem poenam in reos huius sceleris interdum statuisse, quando vel motus fuit precibus, vel clementia, de qua TACITVS a. l. L. III. c. 24. *Vt validi diuino Augusto, inquit, in rem publican fortuna, ita domi inprospera fuit, ob impudicitiam filiae ac neptis, quas urbe depulit adulterosque earum morte aut fuga puniuit.* Nam culpam inter viros ac feminas vulgariter graui nomine laesarum religionum ac violatae maiestatis appellando, clementiam maiorum suasque ipse leges egrediebatur. Quae verba M. LYCLAMA l. c. p. m. 270. minus recte ita interpretatus est: *quod morte eos puniendo maiorum clementiam dicat,* Tacitus, *egressum, in iis quos fuga puniuerit severitatem legis Iuliae minuendo, egressum*

*sum suas leges significet ; Meo enim iudicio Tacitus ibi id innuit : Caesar maiorum clementiam egressus est, nec leges a se latas obseruat, dum mitius in quosdam adulteros sentit.* Hinc & Tiberius Apuleiam Variliam adulteram lenius coercuit & teste *TACITO l. c. L. II. c. 50. adulterii grauiorem poenam deprecatus est ut exemplo maiorum propinquis suis vltra ducentesimum lapidem remoueretur suasit ; Quae verba ita capio : Caesar intercessit pro adultera & petiit ne grauem & lege statutam poenam adulterae irrogarent, suasitque ut eam relegarent vltra ducentesimum lapidem, quoniam & maiores gratia moti recs adulterii aliquando ita punierint. Quare & IDEM de mor. Germ. c. 19. dum hoc libello mores Romanos cum Germanis comparat, de his dicit : *publicatae pudicitiae nulla venia : feciis ergo apud Romanos hoc processisse satis ex his verbis colligi potest.**

Nec semper clementia principis factum esse, sed interdum quoque personarum rationem habitam fuisse, arbitror, vti & intuitu stupri dispositum est in §.4. *I.de publ. iud.* adeoque alios exsilio seu deportatione, quod vnum idemque, alios relegatione coercuerunt, id vero quoque solius principis a potestate dependit, & quidem deportationem quod attinet dubio caret ; praefides enim qui in principis prouincias mittebantur irrogare hanc non potuerunt, *l. 2. §. 1. D. de poenis l. 6. §. 1. D. de interd. & releg.* quamuis in prouinciis proximum a principe habuerint imperium, & gauisi fuerint iurisdictione non voluntaria solum, *l. 2. 5. & 17. D. de off. praef. sed & contentiousa, l. 8. eod. atque extraordinaria, l. 5. eod.* pariter ac iure gladii, *l. 3. 6. 13. 14. & 21. eod. l. 6. pr. l. vlt. D. de poenis.* Quod sane propter ea non potuerunt, quia deportatione egregias personas coercuerunt, principes, vbi alias vilioris generis homines vltimo supplicio adfecerunt

magistratus, vt adcurate coniicit H V B E R V S *in digress.* L. III. 7. id quod & l. 27. §. 1. & 2. D. de *poen.* & l. 6. §. 2. D. de *interd.* & releg. probare, recte obseruat HEINECCIVS *in elem. iur. ciu. sec. ord. dig.* P. I. §. 229. \* Hinc & deportandi ius praefecto vrbi non competit, sed speciali demum concession Seueri concessum fuit, l. 6. §. 1. D. de *interd.* & releg. l. 1. §. 4. D. de *legat.* 3. Hinc nec proconsules, qui in populi prouincias mittebantur, hac facultate vti potuisse censem 10. FR. BOECKELMANN *in comment. ad digesta L. I. t. 18.* §. 2. quamuis omnium magistratum urbanorum partes ad illos in prouincia pertinuerint, l. 7. §. vlt. l. 8. & 9. pr. D. de *off. procos.* Ratio, ni fallor, haec erat; deportatio surrogata fuit in locum aquae & ignis interdictionis, quae ius ciuitatis abstulit, adeoque haec a populo tantum decreta fuit, conf. BOECKELMANN l. a. dum ius ciuitatis nemini a priuato adimi potuit, vt dicit CICERO orat. pro Caecina c. 35. hinc, quia surrogatum, vti alias dicimus, naturam eius, cui surrogatur, sapit, in statu monarchico a principe tantum irrogata fuit deportatio, quod firmare videtur l. 1. 6. D. de *legat.* 3. quoniam hic hoc in statu id expedit, quod in democratia coram vniuerso populo solet explicari.

Poterit tamen & esse, vt culpae quoque hoc in delicto interdum fuerit habita ratio, sicut in omnibus criminibus fieri debet, l. 5. §. vlt. D. de *poenis*, vti non male monet LYCLAMA a. l. p. m. 174. hanc & ob causam aliquando quempiam a poena eximi potuisse probare videtur OVIDIUS de *Ponto el. 8.*

*Quod nisi delicti pars excusabilis esset,*

*Parua relegari pena futura fuit.*

Sic, teste TACITO annal. L. II. c. 85. Vistilium in insulam Seriphon abdi satis est visum, quoniam Titidius Labeo Vistiliae maritus crimen vxoris reticuerat & lenocinium

3.

cinium exercuisse videretur, vbi, vt hodie, ita & olim poena fuit mitigata l. 22. C. ad L. Iul. de adulter. coerc. quamvis maritus eam accusare potuit, l. 13. §. 1. & 2. eod. Pari ratione & Tiberius, teste SVETONIO in vita illius c. 35. adulteras exfilio adfecit, quoniam se meretriciae vitae professione excusauerant.

Et forsitan delinquentes poenam metuentes fugam accelerabant, quare absentes damnabantur, l. 33. §. 2. D. de procurator. & tunc fiebat, vt mitiorem iis irrogarent poenam, hinc CICERO l. c. c. 34. exilium non est suppli- ciun, inquit, sed perfugium portusque supplicii. Nam qui volunt poenam aliquam subterfugere, aut calamitatem eo solum vertunt, hoc est, sedem ac locum mutant. Itaque nulla in lege nostra reperiatur, vt apud caeteras ciuitates malificum vim exfilio esse multatum. Sed cum homines vincula, neces, ignominiasque vitant, quae sunt legibus constitutae, configunt quasi ad aram in exilium: qui si in ciuitate legis vim subire vellent, non prius ciuitatem quam vitam amitterent.

Prouocant quoque aduersarii ad PAVLI sent. L. II. t. 27. §. 13. vbi: adulterii conuictas mulieres, ait, dimidia parte dotis & parte bonorum ac relegatione in insulam placuit coerceri, adulteris vero viris pari in insulam relegatione, dimidiad bonorum partem auferri, dummodo in diuersas relegendur. Sed nec hic locus firmum aduersariis dabit praesidium, siquidem adhuc dubium sit, vtrum Paulus de tempore laiae legis Iuliae, an de aetate, qua ipse vixit, loquatur. Si posterius, quod verosimilius videtur, nihil contra me probabit, quia leges de capitibus poena in adulteros statuenda eo tempore forsitan ab vsu recesserat, degebat enim Paulus sub Septimio Seuero, Caracalla & Alexandro Seuero, vid. NOODT. in Iulio Paulo c. 7. Sin prius, quod tamen maxime dubium est,

nihil aliud euincet, quam poenam adulteris interdum irrogatam fuisse mitiorem, quod sane vox placuit, innuere videtur.

Nec argumentum quod GER. NOODT in *Diocl.* & *Maxim. c. 19.* profert, eius est momenti, ut opinionem infringere queat meam; Existimat enim codicis Hermogeniani & Gregoriani tempore id scelus non fuisse capite punitum, prouocat idcirco ad *SCHOLIAST. BASILIC. L. XI. t. 2. Schol. ad l. 18. C. de transact. lit. B. T. I. p. 811.* Nam tempore, quo hi codices compilati fuerunt, adulterium non fuisse capitale concedo, sed tamen exinde non probatur, istud nec L. Iuliam morte coercuisse.

Ex legibus quoque dissentientes probare student, adulterium ex L. Iulia mortis poena non fuisse punitum, prouocant ideo uno quasi ore ad *l. 5. D. de quaest. l. 29. §. 1. D. ad L. Iul. de adulter. coerc. l. 14. & l. 18. D. de testibus l. 20. §. 6. D. qui testam. fac. poss. l. 13. D. de his quib. ut indign. l. 2. §. 3. D. de his qui not. infam. l. 4. §. 7. D. de re militari l. 17. C. ad L. Iul. de adult. coerc.*

Quod *l. 5. D. de quaest.* attinet, illa lex non tam adulterium quam incestum coerret. Incestum enim alium iuris gentium, alium iuris ciuilis faciebant, poena illius erat deportatio, *d. l. 5. D. de quaest. nou. 12. c. 1.* huius arbitria, scilicet si palam mitior, si clam grauior, *l. vlt. D. de ritu nupt.* adeoque hac ex lege deportationis poena in incestum illius generis statuitur. Possent quidem aduersari monere, quod Marcianus in *a. l. de duplice criminis adulterio & incestu loquatur, & dicat haec ambo delicta deportatione puniri, dum ipsa d. l. verba: quia agnatanam violauit contra fas & adulterium vel stuprum adiungit;* id euincere videantur. Ast mea sententia nihil minus firmo stabit thalo, cum mens *Icti* haec sit: Incestus coercetur deportatione, siue sine adulterio committatur,

tatur, siue hoc cum eo concurrat, dubium vero, quod posteriorem attinet casum, insimul in a. l. remouere vult, si nempe forsan adulterii reus ordinaria huius sceleris poena non adficatur, quod, vti iam supra demonstratum reddidi, fieri potuit, an nihilo secius propter patrum incestum deportationis poena in istum sit statuenda? & hoc adffirmat rationem addens; quia duplex crimen est.

L. 29. §. 1. D. ad L. Iul. de adult. coerc. loquitur de adultero qui principis gratia vel alia ex causa capitatis poenam subterfugit, adeoque non probat, adulterium ex L. Iulia ultimo supplicio non esse punitur.

L. 14. & l. 18. D. de testibus & l. 20. §. 6. D. qui testam. fac. posse. nec quidquam contra me faciunt, siquidem adhuc sub iudice lis est, vtrum de stupri an de adulterii reis loquantur. Nam stuprum & adulterium in legibus promiscue saepius accipiuntur, vt adcurate monent ZOE-SIVS in comment. ad inst. L. III. t. 18. §. 15. & HEI-NECCIVS in elem. iur. ciu. sec. ord. digest. P. VII. §. 189. Et si quoque largiar, sermonem in all. ll. esse de adulterio, non tamē exinde colligi potest, poenam capitatis non fuisse in adulterias statutam, quoniam & hae personae variis ex caussis poenam ordinariam subterfugere potuerunt.

Idem & dicendum esse existimo de l. 13. D. de his quib. vt indign. Namque iterum quaestio erit: vtrum de adulteris an de stupratoribus stupratisue sermo sit, & licet quoque prius sit, id tantum ex hac lege erit depro mendum, adulterium committentes aliquando ab ordinaria poena eximi posse, & si hoc factum sit, nihilo minus arceri debere a testamenti factione, vt dicunt, actiua & passiua, quoniam deportati hoc iure carent, l. 16. D. de interd. & releg.

L. 2. §. 3. D. de his qui not. infam. & l. 4. §. 7. D. de re militari ancipitem quoque & aequiuocam admittunt

interpretationem, nam vel de milite stupratore, vel de milite lenocinium committente, vel immo, quod aduersariis largiri queo, loquuntur de adultero. Istud esse potest, quoniam vti supra monui, adulterium & stuprum synonymice in legibus veniunt. Illud vel exinde probare queo, quod L. Iulia & de lenocinio disponit, quin immo militi eiusmodi in l. II. pr. ad. L. Iul. de adulter. coerc. eadem poena iniungitur. Sed mittam has interpretationes, facilis ero & concedam d. l. loqui de adultero, nec tamen adseriti falsitas quaedam ex eo dimanabit mei, quia & miles coram foro gratiae id potuit obtinere, vt ab ordinaria huius flagitii poena liberaretur, sed tamen propter delictum, quod famam fugillabat, sacramento debuit solui, vel si non miles, horum in numerum non recipi, quoniam non poena sed crimen famam auferit, l. 13. §. 7. *D. de his qui not. infam.* existimatione vero & fama laborans inter milites esse non poterat, l. 4. §. 1. *sqq. D. de re milit.* Accedit & huic alia ratio cur miles eiusmodi dimissus fuit, scilicet quia Romani non permittebant, militem rebus Venereis esse deditum, hinc P. Scipio Aemilianus duo millia scortorum, quae castra sequebantur, propulit, **VALER. MAXIM. L. II. c. 2.** cuius instituti rationem reddit **BELISARIUS AQVIVIVVS de educat. princ.** quoniam scilicet blando & delitioso seminarum luxu militibus multum fortitudinis auferatur, quare nec Augustus militibus legatisue concessit vxores interuisere, **SVETONIUS in vita Aug. c. 24.** hinc & **PROPERTIVS L. III. el. 3.**

*Romanis utinam patuissent castra puellis,*

*Essent militiae sarcina fida tuae.*

De Traiano quoque refert **PLINIVS L. VI. ep. 31.** quod centurionem adulterii reum exauktorauerit atque relegaverit, adulteram vero Gallitam nuptam tribuno militum poenis legis Iuliae reliquerit. Hinc perspici potest, grata

15

tia Traiani mitiorem poenam dedisse centurionem ob dignitatem, cuius & nomen Caesar sententiae adposuit, teste **PLINIO a. l.** ne omnes eiusmodi caussas reuocare ad se videretur; hoc est, nomen centurionis propterea sententiae adiecit, vt videant & cognoscant alii, hunc propter dignitatem ab ordinaria poena fuisse exemptum, neque censeant, omnes eadem mitigata poena adfici posse, exauctiorauit tamen eum, hoc est, sacramento eum soluit, quoniam ipsum scelus commissum notabat.

**L. 17. C. ad L. Iul. de adult. coerc.** nec quidquam contrarii euincit, dum de adulterii accusata non vero de condemnata loquitur.

Quae cum ita sint perspicere equidem nequeo, quomodo negare velimus, adulterii poenam ordinariam ex **L. Iulia** fuisse mortis supplicium. Potuisse sane longe pluribus rationibus & exemplis meae opinionis veritatem demonstrare, sed ea omnia in praesenti lubens praetermis, & haec tantum protulisse sufficere, censui. Dubitanti enim mihi, quid **TIBI, VIR MAGNIFICE** atque **ILLVSTRIS**, gratulandi caussa potissimum scriberem, dum certior factus essem, **TE MAGNIFICI VICE-RECTORIS** munus in academia Iulia his diebus adiisse, veniebat in mentem, triennium sere excurrisse, quo mihi tam felici esse licitum erat, vt ex **TVO, VIR MAGNIFICE**, ore praecepta quaedam, quibus & nunc maxime delector, circa rite instituendum iuris studium acceperim, vbi & interalia me hortatus fueris, vt antiquitatum scientiam sedulo &, quantum fieri queat, cum legum cognitione coniungerem. Hinc **TIBI, VIR MAGNIFICE**, demonstrare vt possem paternis consiliis & monitis **TVIS** obsequium me praestitisse, has qualescunque paginas conscripsi. Conquerarum enim plerosque doctores in communī, inueterato & quasi hereditario dissensu versatos hic usque esse circa

circa quaestionem : Vtrum ex L. Iulia adulterii poena fuerit mortis necne ? Vbi alios & magni quoque nominis ICtos errasse & poenam, nescio quam, huic legi fingere conatos esse deprehenderam, alios e contrario verofimilius quidem conieciisse, sed rationibus adpositis parum vel nihil ponderis opinioni adieciisse obseruaram. Quapropter sarcinas colligere, rationes inuentas ponderare, nouas inuenire & addere animo milhi proponens, haec quantum fieri potuit, collegi. TVAE itaque, VIR MAGNIFICE atque ILLVSTRIS, haec trado diiudicationi, inde vt cognoscas, num TVIS praceptis morem gesserim, simul vero etiam TIBI honores MAGNIFICI VICE-RECTORIS breui abhinc tempore capessitos ea qua par est animi obseruantia vt gratuler.

Hoc quo fungeris munere profecto es dignissimus. Tanta namque, AVVNCVLE patris instar VENERANDE, TVA in orbem literatum sunt merita, vt iisdem TIBI comparaueris gloriae famam sempiternam, quam nec liuor proletariae istius aduerfariorum turbae TIBI potuit auferre. TE enim Gera vrbs Ruthenorum comitum non ignobilis laudibus extollit, gloriatur TE Byrruthum, celebrat TVAM famam celebris quae Ienae floret academia, idem facit Hildesia, & alma illa qua nunc versaris Iulia Carolina plausibus TE veneratur perpetuis atque maximis, alia vt silentio praetermittam loca, quae TIBI munera subewuda obtulerunt. Sed nec diutius in laudes TVAS excurram, ne TVAM, VIR MAGNIFICE, laedere videar modestiam. Gratalior itaque potius illos ipsos TIBI collatos honores & NVMEN in caelis SVPREMVM supplice obtestor voce, vt TE in insigne orbis literatur emolumendum, in maximam academiae Iuliae Carolinae utilitatem, in summum familie decus, & denique in optimum clientum, inter quos & me referri patiare, gaudium atque solatium, sospitem seruet quam diatislime. Seruet quoque DVLCISSIMAM CONIVGEM, MATRONAM, omnibus, quibus hunc sexum decet, virtutibus CONDECORATAM. Seruet itaque ac conferuet vos in seros vsque annos, auertat a vobis quaelibet infaustra, quo TWO fauore &, vera fateri liceat, paterno amore diutius frui queam. Et si votis preces addere permissum erit abs TE, VIR MAGNIFICE, AVVNCVLE quovis pietatis cultu PROSECVNDE, omni animi obseruantia peto atque contendeo, TWO fauori & patrocinio me in posterum vt habeas commendatissimum.

Klemmstadt, Diss., 1748-49

ULB Halle


005 350 832

3





B.I.G.



13 PROBLEMA HISTORICO-IVRIDICVM  
AN EX L. IVLIA AVGUSTI POENA 1748, 11  
ADVLTERRI FVERIT MORTIS  
PROPONIT

QVO SIMVL  
VIRO MAGNIFICO, ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO  
ATQVE CONSVLTISSIMO

12  
**IOANNI GEORGIO  
PERTSCHIO**

IVRECONSVLTO CELEBERRIMO, ANTECESSORI  
ET H. T. VICE-RECTORI IN ACADEMIA  
IVLIA CAROLINA

SERENISSIMO BRUNOVICENSEM AC LVNEBVR-  
GENSIVM DVCI A CONSILIIS AVLAE ET IUSTI-  
TIAE, NEC NON CVRIAEC PROVINCIALIS QVAE  
GVELPHERBYTI EST ADSESSORI  
ORDINARIO

DE MVNERE VICE-RECTORIS  
IN ACADEMIA IVLIA CAROLINA  
D. VII. CAL. IVLII A. R. D. CCCLXXXXVIII.  
ADITO

GRATVLATVR  
**CAROLVS FRIDERICVS SCHVBERT**  
CIZ. MISN. LL. C.

HELMSTADII STANNO DRIMBORNIANO.

